



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CUM PIETAS ECCLESIA, VERNACULO SERMONE DICTA**  
«PIETRALBA-MARIA WEISSENSTEIN»,  
BEATAE MARIAE VIRGINI PERDOLENTI DICATA,  
TITULO ET DIGNITATE BASILICAE MINORIS INSIGNITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cum pietas erga  
Beatissimam Virginem Mariam in vitam religiosam alendam, fidem servandam, mores integros custodiendos magnopere  
conferat, eademque catholicos excitet ut ad benignissimam illam Matrem et Patronam confugiant, sive praesidium sive  
beneficia petituri, nemo neget per opportunum esse et vere salutare eiusmodi cultum fovere, tum efficiendo ut eius  
potentissimae Auxiliatrixis amor et misericordia erga homines a Christo redemptos cognoscatur et in dies pluris ducatur,  
tum convenientes tribuendo honores sacris illis locis, ubi ea peculiari fidelium frequentatione colitur. Quoniam igitur  
Venerabilis Frater Iosephus Gargitter, Episcopus Bauzanensis-Brixinensis, denuntiatis cleri et populi christiani votis ad  
rem pertinentibus, ab hac Apostolica Sede postulavit ut Ecclesia vernaculo sermone dicta «Pietralba-Maria  
Weissenstein», Beatae Mariae Virgini Perdolenti dicata, clara ob Virginis praesentiam a quodam Leonardo pluries  
conspectam obque multorum sanctorum reliquias, et Decessori Nostro Ioanni Paulo I, v. m., cum in Venetorum regione  
ut Episcopus et Patriarcha degeret, carissima, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, Nos, eiusdem Ecclesiae  
considerato momento, consulta probantes Congregationis pro Cultu Divino, postulationem libenti animo admisisimus. Qua  
re Ecclesiam appellatam «Pietralba-Maria Weissenstein», in dioecesi Bauzariensi-Brixinensi sitam, titulo et dignitate  
Basilicae Minoris ornamus, servatis iis, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis Iunii anno  
MCMLXVIII editum, servanda iubet. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die IV mensis Iulii, anno*  
*MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright  
1985 - Libreria Editrice Vaticana

---